DISSERTATIONE TERTIA

IMPVTATIONEM CVLPAE
CIRCA
EMTIONEM VENDITIONEM



EX CONSENSV

ILLVSTRIS JCTORVM ORDINIS

PVBLICE PROPONENT

PRAESES

IO. IVSTINVS SCHIERSCHMID
PHIL. ET I. V. D.

ET RESPONDENS

CAROLVS GODOFREDVS MIRVS,
SCKAESG. MISN.

DIE XVI. DECEMBR. ANNO M DCC XXXV.

LIPSIAE
LITTERIS GABRIELIS TROGII.



PROOEMIVM.



Eneralia iſta, quibus imputatio culpae circa contractus determinatur, in ſecunda quidem diſſertatione propoſuimus, ſimulque et ad ſpeciales contractus innominatos ſcilicet atque reales ita applicauimus, vt horum contractum notiones, earumque legitimam formationem ex Elementis Iuris Ciuilis praeſupponeremus; verum quoque ſingulas imputationes culpae circa contractus ita traderemus, prout contractus in rebuspublicis recepta fuerint. Cum igitur §. 1. l. 3. t. 4. Elem. Iuris Ciuilis probabiliter concluderem, plurimos conſenſuales contractus demum poſt innominatos et reales inter gentes frequentatos fuiſſe; inde in hac tertia, imputationem culpae circa contractus conſenſuales abſoluere quidem conſtitueram; Aſt cum generalia pactorum ſub conditione initorum, quæ contractibus conſenſualibus magis, quam realibus congruunt, praemittere coactus fuerim; (quia nimirum iſta generalia imputationem culpae circa contractus cumprimis conſenſuales varient,) et iſta tamen generalia plures paginas impleverint. Id circo in hac tertia vltra imputationem culpae circa emtionem venditionem procedere non licuit, ita, vt imputationem culpae circa reliquos contractus conſenſuales, quartæ relinquere cogar.

§. I.



St autem *conditio* euentus futurus incertus. Qui vel a mero casu, vel a voluntate eius, cum quo nobis res est, ab vtroque dependere potest, et inde efficit conditionem *casualem*, *potestatiuam et mixtam L. 60. ff. de condit. et demonstr.*

§. II.

Actio libera ratione executionis obligationem moralem admittit §. 18 Diss. I. Actio libera ratione executionis redit ad actionem, cuius existentia a voluntate nostra dependet. (§. 17. l. c.) Quare euentus futurus, cuius existentia a voluntate nostra dependet, admittit obligationem moralem: Verum euentus futurus, cuius existentia a voluntate alterius dependet, cum quo nobis res est, dicitur conditio potestatiua (§ 1.) et obligatio pactitia etiam est obligatio moralis. *Ergo conditio potestatiua obligationem pactitiam admittit.*

§. III.

Id, in quod pacto iusto consentimus, existentiae reddere ex pacto perfecte actu obligati sumus, §. 12. Diss. II. *Quare is paciscentium, qui in conditionem potestatiuam pacto iusto consentit, ex pacto ad eam existentiae reddendam actu obligatur (§. 1. 2.)*

SCHOLION: Actualem obligationem pactitiam ad conditionem potestatiuam existentiae reddendam asserere, antequam possibilitatem eiusdem obligationis euicerim, methodi haud conueniens esse putaui.

§. IV.

Haud implicat, quin duo eandem voluntatem de aliquo negotio sub euentu demum futuro incerto effectui dando declarent. Cum vero identitas binarum voluntatum de aliquo negotio effectui dando vel ab eodem reprimendo consensum mutuum in idem placitum constituat (§. 2. Diss. II.) et euentus futurus incer-

cer-

certus conditionem abfoluat (§. 1.) Inde non implicat, quin confenfus mutuus in idem placitum fub conditione demum determinetur. Verum confenfus mutuus in idem placitum pactum efficit, *quare pactum fub conditione ab initio initum non implicat.* Unde fimul apparet, quid fibi velit pactum purum ab initio, quo fcilicet confenfus pacifcentium mutuus in idem plecitum *non demum* fub euentu futuro incerto determinatur.

§. V.

Pactum ab initio purum eft pactum, quo confenfus pacifcentium mutuus in idem placitum non demum fub euentu futuro incerto determinatur (§. praec.) Interea tamen non implicat, quin illi confenfui mutuo puro in idem placitum, eodem quidem tempore, fub euentu tamen futuro incerto, diffenfus eorundem pacifcentium mutuus determinetur. Id quod *pactum conditione refolutiua auctum vocant*; vt diftinguerent ab eo, quo confenfus mutuus in idem placitum fub euentu demum futuro incerto determinatur, quod *pactum ab initio fub conditione fufpenfiua initum appellant. L. 2. ff.* de in diem addict.

§. VI.

Pactum fub conditione fufpenfiua eft pactum, quo confenfus mutuus in idem placitum fub euentu futuro incerto determinatur (§. praec.) Per id, fub quo alterum determinatur, intelligitur, cur alterum circa rem coexiftat, vel alterum fequatur, uti ex Logicis patet. Quare per exiftentiam conditionis intelligitur, cur, circa pactum fub conditione fufpenfiua initium, confenfus pacifcentium mutuus in idem placitum coexiftat. Nunc autem id, per quod intelligitur, cur alterum coexiftat, vel alterum illud fequatur, efficit, vt alterum cum illo connectatur, conf. *Illuftr.* WOLFFII (Cofmol. lat. §. 11.) Vnde apparet, *quod exiftentia conditionis circa pactum fub conditione fufpenfiua initum cum confenfu pacifcentium mutuo in idem placitum connectatur.*

§. VII.

Existentia conditionis circa pactum sub conditione illa suspensiua initum cum consensu paciscentium mutuo in idem connectitur, (§. praec.) ex consensu paciscentium mutuo in idem placitum pactum perfectum euadit (§ 2 et 4 Diss. II.) Quare *existentia conditionis pactum sub conditione suspensiua initum perfectum efficit. L. 20. ff. de condit. L. 8 p. 1. ff. de C. E. V.*

§. VIII.

Existentia conditionis circa pactum sub conditione suspensiva initum cum consensu paciscentium mutuo in idem placitum connectitur §. 6). Quare *sublata seu cessante conditione circa pactum sub conditione suspensiva tollitur consensus paciscentium mutuus in placitum et consequenter pactum exspirat. L. 8. pr. ff. de Per. C. E. V. L. 37. ff. de contr. E. V.*

§. IX.

Si duo vel plures consensum suum mutuum in idem placitum sub futuro euentu determinant, tum per eum (consensum) tanquam factum intelligitur, quod utrique velint existentiam, vel non existentiam euentus illius incerti expectare. Cum autem identitas binarum voluntatum facto declarata de aliquo negotio effectui dando, vel ab eodem reprimendo efficiat consensum mutuum tacitum (§. 2. Diss. II) inde si duo vel plures consensum suum mutuum in idem placitum sub eventu futuro incerto determinant, tum per (consensum) simul intelligitur, quod utrique tacite in expectationem existentis vel deficientis euentus incerti mutuo consenserint. §. cit. Quum autem consensus mutuus in idem placitum tacitus, pactum tacitum efficiat (§. 4. l. c.) Inde apparet, quod per consensum mutuum in aliquod placitum sub euentu futuro incerto determinatum, simul intelligatur pactum tacitum in expectationem euentus illius. Cum autem ea, per quorum unum intelligitur alterius rei coexistentia, dicantur inter se connexa *conf. §. 11. Cosmol. Lat.*

Lat. Hinc *constat. quod consensu mutuo in idem placitum sub euentu futuro incerto determinato pactum quoddam tacitum, de expectanda conditione sit connexum. conf.* ILLUSTR. RECHENBERGII *Tr. de Reg. jur. pr. L. III. t. 1. §. 2.*

§. X.

Cum consensu mutuo in idem placitum, sub euntu futuro incerto determinato, ab initio pactum quoddam, tacitum de expectanda existentia vel non existentia conditionis est connexum (§. praec.) Quare sub conditione suspensiua pacifcentes ab initio iam iam pactum de expectanda existentia vel non existentia conditionis ineunt (§. 2, 4). Diss. II. Cum autem illud alteri præstare obligati simus, in quod pacto justo consentimus (§. 12. l. c.) & nos circa pactum nostrum iustitiam illius praesupponamus. Hinc constat, *quod sub conditione suspensiua paciscentes obligati sint ad conditionis vel existentiam vel non existentiam expectandam. L. 7. pr. ff. de Contr. E. V. L. 43. §. p. ff. ne Ædil. Edict.*

§. XI.

Consensus mutuus in idem placitum, sub eventu futuro incerto determinatus, efficit pactum sub conditione suspensiva initum (§. 5.) et existentia illius euentus seu conditionis pactum illud perfectum reddit §. 7). Quare *existentia conditionis efficit, ut in pacto sub conditione suspensiua inito duo pacta perfecta inter se connectantur.* Cum autem connexa a se invicem inseparabilia sint. Inde concipitur, cur leges *pactum sub conditione suspensiua initum existente conditione ad initium reducant, fingantque, ac si pactum illud ab initio pure initum sit. L. 20. ff. de condit. inst. L. 11. §. 1. ff. qui pot. in pign.*

§. XII.

Ante existentiam conditionis vel ejusdem defectionem pactum quidem principale, quod sub pacto sub conditione inito continetur, neque perficitur neque deficit (§. 7. 8.) paciscentes tamen

ex

ex pacto tacito accessorio ad expectationem conditionis vel existentis, vel deficientis obligantur. (§. 10.) Vnde apparet, quod conditio, *quæ pacto sub conditione suspensiva inito inest, ex pacto tacito accessorio suspendat et pacti principalis futuram perfectionem et defectionem. L. 1. pr. ff. Contr. E. V.*

§. XIII.

Pactum sub conditione resolutiua initum est pactum ab initio purum, quo quidem eodem tempore sub euentu tamen incerto futuro dissensus eorum paciscentium mutuus determinatur. (§. 5.) Per id, sub quo alterum determinatur, intelligitur, cur alterum circa rem coexistat, vel alterum sequatur. Quare per existentiam conditionis intelligitur, cur circa pactum sub conditione resolutiua initum dissensus eorum paciscentium mutuus pactum prius sequatur. Sed id, per quod intelligitur, cur unum alterum sequatur efficit, ut unum cum altero connectatur. *conf. §. cit. 11. Cosm. lat.* Quapropter *existentia conditionis circa pactum sub conditione resoluiua initum efficit, vt cum pacto priori puro dissensus eorundem paciscentium mutuus necessario connectatur conf.* ILLUSTR. RECHENBERGII *Tract. l. c.*

§. XIV.

Existentia conditionis circa pactum sub conditione resolutiua initum cum pacto ab initio puro, seu priori perfecto dissensum eorundum paciscentium mutuum actu connectit (§. præc.) Nunc autem dissensus eorundem paciscentium mutuus pactum ipsorum prius perfectum tollit. (*§. 96. Elem. L. 3. Tit. 1.*) *Quare existentia conditionis circa pactum sub conditione resolutiua initnm pactum prius perfectum tollit. L. 1. 2 ff. de in diem addiction.*

§. XV.

Existentia conditionis circa pactum sub conditione resolutiua initum cum pacto primo perfecto dissensum eorum paciscentium mutuum demum actu conectit (§. 13.) Si unum connexum necessariorum tollitur etiam alterum tollitur. Quare *defectio conditio-*

tio-

tionis subsecuta circa pactum sub conditione resolutiva initum dissensum eorundem paciscentium alias futurum tollit, et consequenter pactum prius perfectum a futuro interitu liberat, seu pactum corroborat L. 1. ff. de L. Comiss.

§. XVI.

Pactum vel contractus *sub conditione scripturae super illum conficiendae initus* est pactum, quo consensus paciscentium mutuus sub conditione potestatiua determinatur (§. 1.) & consequenter pactum sub conditione suspensiva initum (§. 5.).

§. XVII.

Quantitas in jure dicitur genus inferius numero determinatum, (§. 58 l. 2. c. 14. Elementor.) Genus illud inferius, quod philosophi speciem vocant, omnimode determinatum non est. Quare pactum, quo quantitas promissa, est pactum, cujus objectum, subsecuta demum omnimoda generis illius determinatione et annumeratione ab utrisque placita, omnimode determinatur. Subsecuta omnimoda determinatio generis cum annumeratione ab utrisque paciscentium placita inuoluit euentum futurum a voluntate alterius paciscentis dependentem. Quare *pactum, quo quantitas promissa, continet* pactum, quo consensus mutuus in idem placitum sub euentu futuro, a voluntate alterius paciscentis dependente, determinatur, et *consequenter pactum, quo quantitas promissa, continet pactum initum sub conditione suspensiua potestativa, quam nimirum actualis omnimoda determinatio generis placiti cum annumeratione conjuncta involuit (§. 1. et 5.) conf. Titii jus pr. 14. c. 2. §. 27.*

§. XVIII.

Pactum, quo quantitas promissa, continet pactum sub conditione suspensiua potestatiua, quam omnimoda determinatio generis placiti actualis cum adnumeratione conjuncta involuit (§. praec.) Cum autem quantitas sit genus numero

 deter-

determinatum (§. cit.) Inde *pactum, quo genus promissum, continet pactum initum sub conditione suspensiua potestativa*, quam sola actualis omnimoda tamen generis placiti determinatio, quorsum etiam, ut ajunt, demonstratio pertinet, involuit. *conf. Tit. l. c. §. 26.*

SCHOLION. Istam propositionem ex demonstratione §. praec. triadita consequentia immediata per subtractionem deduximus.

§. XIX.

Arrha dicitur pars pretii rei commutandae sub conditione poenitentiae in alterum transferenda. Ast poenitentia continet noluntatem ejus, quod antea aliquis voluit, conf. 464. Metaph. ILLUSTR. WOLFFII; Quare contractus commutationis, cui arrha accedit, continet pactum ab initio quidem purum; cui tamen sub conditione potestatiua eorundem paciscentium identitas noluntatum seu dissensus mutuus determinatur. Sed pactum ab initio purum, cui sub conditione dissensus eorundem paciscentium mutuus determinatur, est pactum sub conditione resolutiua initum (§. 5.) *Ea propter contractus, cui arrha accessit, dici potest contradus conditione resolutiua initus. conf. Titii jus pr. l. c. §. 22.*

§. XX.

Hisce praemissis ad imputationem culpae circa contractus consensuales accedere, emtionemque venditionem primo loco collocare licuit, cujus notionem *Lib. III. Tit. 2. §. 14. Element.* euicimus, quod sit contractus consensualis de re nobis propria externa in alterum transferenda. Cum igitur res externa alicui propria et res singularis et genus quoddam et quantitas esse possit. *Inde concipitur quod emtio venditio et rei singularis et generis et quantitatis esse possit.*

§. XXI.

Porro cum emtio venditio sit contractus consensualis (§. praec.) et consensuales cum primis contractus sub conditione suspensiua et resolutiua iniri possint (§. 5.) Hinc constat, quod concipi possit

emtio

emtio venditio sub conditione suspensiua vel resolutiua inita. quarum posterior in iure ciuili Romano addictio in diem audit conf. *L. 4. §. 5. 6. L. 5. L. 14. pr. et §. ult. ff. de in diem addict.*

§. XXII.

Res singularis nobis propria vel indiuidua esse, vel complexum rerum singularium sub uno vel diverso genero contentarum comprehendere potest, conf. §. 15. Sect. II. Addit. Elem. Vnde emtio venditio rei singularis, vel emtio *venditio rei singularis indiuiduae seu simplex* esse, vel emtionem venditionem rerum singularium universalem et quidem vel cum admensuratione, aut adnumeratione coniunctam, aut admensuratione et adnumeratione destitutam inuoluere potest. Haec dicitur *emtio venditio* rerum singularium *per auersionem*, überhaupt, in Bausch und Bogen, *illa emtio venditio rerum singularium ad mensuram, pondus vel numerum dicitur. L. 40. §. 2. ff. de C. E. V. L. 4. §. 1. L. 42. ff. de A. E. V.* conf. B. TITII *Iuspr. l. 4. c. 2. §. 8. adde* STRVVII *Syntagm. Iur. Ciu. Exerc. XXXIII. §. XI.*

§. XXIII.

Res externae singulares nobis propriae existunt et simul sub domino nostro continentur, uti aliunde constat. Ponas itaque, quod res quaedam vel non existat, vel quidem existat, attamen dominio nostro non contineatur, tum res ista externa singularis nobis propria dici nequeat, adeoque, vt res externa singularis nobis propria sit, requiritur, vt non solum simpliciter existat, sed quoque sub dominio nostro contineatur. Cum itaque res, quae propius accedit ad existentiam et inde quodammodo existere dicatur, adeoque vt res, rei singulari, per fictionem principio rationis sufficientis superstructam, et inde heuristicam aequipollens considerari possit, conf. Illustr. Wolff. 245. Metaphys. Hinc constat, quod duae species rerum, rebus singularibus externis nobis propriis, aequipollentium concipi possint, quarum prima erit res externa et exi-

ſtentiae ſimplici et exiſtentiae dominii propius accedens, quam *futuribilem* vocamus ſecundum B. TITII *Iuspr. L. IV. c. II. §. 6. et l. 8. pr. ff. de C.E.V.*, altera autem erit, res externa exiſtens, ſed exiſtentiae dominii tantum propius accedens, quam *ſpem iuridicam* vocare licebit ſecundum *L. 8. §. 1. de Contr. E. V.*

§. XXIV.

Res futuribilis nobis propria et ſpes noſtra iuridica eſt res rei ſingulari externae nobis propriae aequipollens. (§. praec.) Quare *Emtio venditio rei futuribilis nobis propriae, et ſpei noſtrae iuridicae, emtioni venditioni rei ſingularis aequiparatur. (§. 20)* conf. TITII *Ius pr. l.c. cit. text.*

§. XXV.

Fructus ex re noſtra proximo tempore naſcituri ſunt res externae exiſtentiae ſimplici et exiſtentiae dominii propius accedentes (§. 36. l. 2. t. 2. Elem.) Quare fructus ex re noſtra proximo tempore naſcituri ſunt res futuribiles externae nobis propriae (§. 23.) *et conſequenter emtio venditio fructuum ex re noſtra proximo tempore naſciturorum eſt emtio venditio rei futuribilis nobis propriae* conf. *L. 8. pr. ff de Contr. E. V.*

§. XXVI.

Fructus immaturi ſunt res externae nondum perceptae, adeoque propriiſſime ſub dominio noſtro nondum exiſtunt. (§ 36. l. 2. t. 2. Elem.) Interea domino tamen, cum exiſtant, ius quoddam in fructus percipiendos competit, quod titulum dominium acquirendi inuoluit (§. cit.) licet illud ſub hac conſideratione dominium non ſit (§. 35. l. c) Hinc fructus immaturi ſub hac conſideratione plus quam ſpem iuridicam, involuunt (§. 23.) Quid quod cum fructus pendentes immaturi ſimul tanquam partes rei nobis propriae ſingularis conſiderari poſint. Inde *ſub hac conſideratione eo magis emtio venditio fructuum pendentium immaturorum erit emtio venditio rerum ſingularium per auerſionem (§. 22.)* conf. *§. 40. Elem. l. c.*

§. XXVII.

§. XXVII.

Res, instante venatione, aut piscatione, aut aucupio acquirendae, sunt res externae existentes nondum quidem sub dominio, propius tamen eidem accedentes (§. 15. et 16. Elem. l 2. t. 2.) adeoque pertinent ad spes nostras iuridicas (§. 23.) *Hinc emtio venditio rerum instante venatione aut piscatione aut aucupio acquirendarum pertinet ad emtionem venditionem spei nostrae iuridicae L. 8. §. 1 ff. de C. E. V.*

§. XXVIII.

Damnum dolo vel lata culpa circa emtionem venditionem quamcunque perfectam a contrahentibus datum, ipsis ad reparationem damni dati omni tempore imputatur (§. 44. Diss. II,)

§. XXIX.

Emtione venditione perfecta emtor certam pecuniae summam rei venditori propriae substituit (§. 20.) adeoque emtor et venditor ex emtione perfecta aequalem utilitatem percipiunt. Quare *emtor et venditor ex emtione venditione perfecta simplici ad mediam diligentiam sibi inuicem exhibendam, adeoque ad damna leui culpa data resarcienda obligantur §. 39. Diss. II. L. 23. ff. de R. I. L. 35. §. 4. ff. de Contr. E. V. L. 6. pr. ff. eod. L. 54. pr. ff. de act. emt.* conf. COCCEII. *Diss. III. de Praest. culp. circa Contr.*

§. XXX.

Si venditor custodiam rei venditae in specie promisit, tum ista promissione declarat, se velle plus, quam ordinariam diligentiam in custodienda re vendita adhibere. (§. 15. Diss. II.) Sed ordinaria diligentia ex emtione venditione perfecta emtori exhibenda est media (§. praec.) Quare venditor custodiam rei venditae in specie promittens declarat, se velle plus, quam mediam, quae maxima dicitur. (§. 114. Diss. I.) emtori exhibere. Declaratio voluntatis de re aliqua effectui danda dicitur consensus (§. 2. Diss. II) et ad id, in quod pacto iusto seu contractu consensimus, alteri exhiben-

dum obligati sumus. (§. 12. Diss. II.) Quare *venditor custodiam rei venditae in specie promittens, ad maximam diligentiam emtori in custodienda re exhibendam obligatur. L. 31. pr. ff. de A. E. V. §. 3. Inst. de E. V. L. 35. §. 4. ff. de Contr. E. V. L. 18. §. 9. L. 38 ff. de damno infecto.* conf. COCCEII *Diss. §. 24. et 25.*

§. XXXI.

Mere casualis rei pactitiae singularis interitus obligationem ex contractu perfecto alias competentem ordinarie tollit (§. 36. Diss. II.) Quare mere casualis rei venditae singularis interitus obligationem venditoris ad rem emtori tradendam ex perfecta emtione venditione competentem ordinarie tollit. (§. 20.) Inde *mere casualis rei venditae interitus post perfectam emtionem venditionem ordinarie ad emtorem spectat. L. 11. ff. de Per. et Com. R. V.*

§. XXXII.

Casualis rei pactitiae singularis interitus, cui dolus vel culpa unius paciscentis, tanquam concausa, accedit, eatenus ad reparationem damni alteri praestandam ex contractu imputatur, quatenus dolus iste, aut culpa ex contractu imputatur (§ 38. Diss. II.) Verum ex omni contractu dolus et lata culpa imputatur (§. 44. Diss. II.) ex emtione autem venditione perfecta simplici quoque leuis (§. 29.) et ex ea, qua venditor custodiam rei venditae in specie promisit etiam leuissima (§. 30) Quare ex emtione *venditione perfecta et simplici interitus rei venditae casualis, cui dolus venditoris, vel lata vel leuis culpa, tanquam concausa, accedit, venditori ad reparationem damni imputatur.* (a) *minus autem, si culpa tantum leuissima poneretur,* (b) *quod tamen in emtione venditione etiam obtinet,* (c) *qua venditor custodiam rei venditae in specie promiserit* a) *L. 54. pr. ff. de Act. E. V. L. 31. pr. L. 13. §. 3. L. 15. ff. de per. et com. R. V.* b) *L. 11. ff. eod.* c) *§. 4. 3. Inst. de E. V. L. 35. §. 4. ff. de Cont. E. V. L. 41. ff. loc.*

§. XXXIII.

§. XXXIII.

Interitus rei venditae casualis, cui neglientia quidem domesticorum venditori subiectorum, tanquam causa, non autem leuis culpa venditoris inest, ex emtione venditione perfecta simplici venditori ad reparationem damni non imputatur. (§. praec.) *L. 11. ff. de P. et C. V. Illustr.* RECHENB. Tr. *l. c. §. 11.*

§. XXXIV.

Is contrahentium, qui interitum rei pactitiae singularis in se suscipit, ex isto contractu ad aliam rem, sub eodem genere, et pretio contentam, alteri conferendam, seu ad periculum, ut ajunt, praestandum obligatur. (§. 42. Diss. 11) Quare *venditor, periculum rei venditae singularis suscipiens ex contractu obligatur ad periculum praestandum* (*§. 20.*) *§. 3. Inst. de E. V. L. 78. §. f. L. 35. §. 4. ff. de C. E. V. L. 5. §. 2. ff. commod. L. 1. ff. de Per. et com. Rei. Vend.*

§. XXXV.

Maxima diligentia adhuc actionem in potestate nostra sitam praestruit (§. 114. et 78. Diss. I) mere casualis rei interitus involuit euentum, cujus non existentia non est in nostra potestate (§. 34. Diss. II.) Quare *casualis rei interitus maximam quoque hominis diligentiam transgreditur. Vnde venditor solam custodiam rei venditae in specie promittens* adhuc in casualem rei venditae interitum non consentit, nec adeo *sola custodia promissa ad periculum praestandum obligatur* (§. 30. 34) Consentit *L. 31. pr. ff. de Act. Emti L. 41. ff. loc.* conf. COCCEII *Diss. III. §. 25.* quanquam *L. 35. §. 4. ff. de Contr. E. V. et §. 3. I. de E. V.* propositioni implicite contrariari videatur, sed leges istas accuratius perpendendo, apparebit, quod in istis tantum interitus rei venditae, cui tamen culpa venditoris vel saltim leuissima inest, praesupponatur.

§. XXXVI.

Venditor in verum rei venditae pretium, quantum in eius potestate est, determinandum, ordinarie consentit (§. 20.) conf. *§.*

88.

88. l. 3. t. 1. Elem. Vnde determinatio veri pretii rei venditae in poteſtate venditoris ſita, eſt officium venditoris perfectum ex emtione venditione enatum (§. 12. Diſſ. II.) Quare *venditor, qui verum pretium rei non determinat, cum tamen in ipſius poteſtate fuit illud determinandi; non utitur viribus explendo officio ſufficientibus, vel deliberate vel indeliberate (§. 28 Diſſ. I.)* et conſequenter vel *dolum vel culpam committit.*

SCHOLION: Ex hoc principio decidi poteſt caſus, quo vnus mercator A. alteri mercatori B. omnium mercium apparatum iuxta propriam emtionem, nach den Einkauff oder nach der nummer, quidem vendidit, in inventario autem mercium iuxta propriam venditionem, nach dem Ausſchnitt, adſcripſit.

§. XXXVII.

Ex iis quae (§ praec.) tradidimus aliisque principiis uberiori demonſtratione *in Elem. Jur. Ciu. L. 3. T. 1. §. 94.* eruimus, quod is commutantium, qui alterum ultra dimidium veri pretii, ſeu pretii ejus, quod res alterius exigit, laeſit, alteri jus porrigat, aut ſuppletionem veri pretii exigendi, aut a pacto prorſus recedendi. Ex qua propoſitione, ſi breuitatis cauſa hic aſſumere liceat, fluit, quod, cum emtio venditio ordinaria ſit commutatio (§. 20) *venditor, qui emtorem et vice verſa emtor, qui venditorem ultra dimidium veri pretii, ſeu pretii ejus, quod merx exigit, laeſit, alteri porrigat* jus, aut in primo caſu *remiſſionem ejus pretii, quod ultra verum accepit*, et in altero caſu, *ſuppletionem veri pretii exigendi*, aut ab *emtione venditione ordinaria prorſus recedendi.* Quam propoſitionem hoc in loco vel ſaltim attingere volui. Cum iam antea Viri celeberrimi Dn. IKSTADIUS in ſpecimine de laeſione enormi, et Dn. CRAMERUS Marburg: in ſpecimine de aequitate naturali emtionis venditionis uberiori calamo ea, quae huc ſpectant, expoſuerint.

§. XXXVIII.

§. XXXVIII.

Venditor, qui vitium, quo res laborat, vel ſcivit, vel quidem ignorauit ſed facile ſcire potuit tamen emtori non detegit, verum rei pretium (vel ſaltim quoad vitium) non determinauit, cum tamen in eius poteſtate fuit illud determinandi; et conſequenter venditor iſte, qui vitium, quo res laborat, vel ſciuit, vel quidem ignoravit, ſed facile ſcire potuit, et emtori non detegit, dolum in primo caſu, culpam autem latam vel leuem in altero committit (§.36.) id, *quod vitium emtori cum interitu rei, vel citra iſtum innotum, efficit, ut emtor ſentiat malum* ortum ex dolo in primo, vel lata et leui culpa venditoris in altero caſu, et conſequenter *damnum dolo vel lata vel levi culpa venditoris circa emtionem venditionem datum (§.123. Diſſ. I.)*

§. XXXIX.

Venditori ex etmione venditione damnum dolo aut culpa ſua lata vel leui emtori datum ad reparationem damni emtori praeſtandam imputatur (§.28. et 29.) Quare *venditori interitus rei ex antiquo vitio, quod ſciuit, vel quidem ignorauit, ſed facile ſcire potuit, et emtori non detegit, apud emtorem, ſubſequens, ad reparationem damni dati emtori praeſtandum imputatur* (§.praec.) *L.* 1. *§. ult. C. de Act. emt.* conf. TITII *Iuspr. l. c. §. 24.*

§. XL.

Si emtori vitium rei etiam citra interium innotuit, quod venditor ſciuit, vel quidem ignorauit, ſed tamen facile ſcire potuit, et emtori non detegit, tum emtor circa emtionem venditionem damnum in primo caſu dolo, in altero autem culpa vel lata vel leui datum ſenſit. (§.38.) Cum autem venditori damnum dolo vel culpa lata et leui circa emtionem venditionem datum ad reparationem damni imputatur (§.28.29.) quid, quod dolus ad maius quoddam, culpa autem ad minus imputetur. (§.110. Diſſ. I.) Inde concipiendum, *cur eo caſu, quo emtori vitium rei etiam citra inte*

C *ritum*

ritum totalem innotuit, quod venditor sciuit, vel quidem ignorauit, sed facile scire potuit, et emtori non detegit, venditori damnum in prima ad repationem omnium detrimentorum, quae emtor ex hac emtione traxerit, in altero autem casu ad id tantum imputetur, quanto minoris fuisset emtor emturus, si ipsi detegisset conf. *Illustr.* RECHENB. *Tr. L. III. t. 13. §. 7. adde L. 13. ff. de A. E. V.*

§. XLI.

Tum tempore, quo venditor rei traditionem offert, emtor quoque praecise obligatur ad pretium soluendum §. 3. L. III. t. 5. Elem. *Quare emtor, cui a venditore rei traditio offertur, pretium non soluens, seu a venditore interpellatus promissum suum existenstiae eo tempore non reddit, quo moraliter obligatus est*, et consequenter *in moram moralem constituitur* (*§. 39. Diss. II.*) Inde simul apparet, quod venditor *in emtione venditione simplici in moram constituatur, si tempore determinato, vel eo, rei traditionem suspendit, quo ab emtore pretium offerente interpellatus. L. 4. §. fin. ff. de P. et C. R. V. L. 17. eod.*

§. XLII.

Emtor in moram moralem costitutus, eo tempore pretium non soluit, quo moraliter obligatus est (§. 39. Diss. II.) sed is, qui id, in quod pacto iusto consensit, existentiae non reddit, alterum laedit § 13. Diss II.) Quare emtor in moram moralem constitutus venditori damnum infert, quod cum reparandum veniat (§. 144. Diss. I) Inde *emtor damnum ex mora sua morali venditori subnatum reparare obligatur. L. 114 ff. de V. O. L. 5. ff. de P. et C. R. V.* conf. *Illustr.* RECHENB. *Tr. de Reg. Jur. pr. L. II. t. 1. §. 35.* Id quod damnum emtoris mora, venditori illatum vel satis determinate aestimari seu declarari potest vel minus, si posterius ponas, tum termini damni reparationis dubii, sed in dubio sequimur id, quod minimum seu ordinarium est. Vnde *ad intelligendum datur, cur in casu posteriori emtor, loco reparationis damni, usuras*

ras alias conſuetas venditori praeſtare; in priori autem ad reparationem damni etiam citra uſuras obligetur. L. f. de P. et C. R. V. et cit. Tr. L. III. t. 1. §. 35.

§. XLIII.

Venditor in moram moralem conſtitutus eo tempore rem non tradit emtori, quo moraliter obligatus eſt (§. 39. Diſſ. II.) Verum is, qui id, in quod pacto iuſto conſenſit, exiſtentiae non reddit, alterum laedit (§. 13. l. c.) Quare venditor in moram moralem conſtitutus emtori damnum infert (§. 123 Diſſ. I.) quod cum reparandum veniat (§. 144. l. c.) *Inde venditor in moram moralem conſtitutus, ad reparandum damnum emtori exinde ſubnatum obligatur*, id, quod damnum, cum vel accurate aeſtimari et oſtendi poteſt, vel minus, inde quoque in prima *determinatione reparatio damni citra uſuras alias conſuetas in altera ad uſuras conſuetas venditori imputanda ad* (modum praec.) *L. 1. pr. ff. et L. 21. §. 3. ff. de A. E. V.*

§. XLIV.

Venditor rei traditionem emtori offerens, cui autem emtor pretium non ſoluit, uti incipit viribus ad explendum officium ſuum, propter emtoris autem denegationem pretii officium ſuum in totum non abſoluit (§ 20.) ſed uſus virium explendo officio ſufficientium dicitur diligentia debita (§. 78. Diſſ. I.) Quare venditor rei traditionem emtori offerens, cui emtor non ſoluit, vel ſaltem partem diligentiae adhibuit, in quam ab initio contractus conſenſit. Cum autem contrahens ab obligatione liberetur, qui id, in quod ab initio pacti conſenſit, exiſtentiæ reddit (§. 12. Diſſ. II.) Inde conſtat, quod venditor rei traditionem offerens, cui tamen emtor pretium non ſoluit, ab obligatione partis cuiusdam diligentiae liberetur, in quam ab initio contractus conſenſit. Sed diligentia in quam venditor ab initio contractus conſenſit eſt media (§. 29.) Venditor igitur rei traditionem offerens, cui tamen emtor non ſoluit, ab obligatione partis mediae diligentiae liberatur. Si a diligentia media pars

quaedam subtrahitur, remanet minima (§. 114. Diss. I.) *Venditor itaque rei traditionem offerens, cui tamen emtor non soluit, post oblationem ad minimam diligentiam emtori in re exhibendam obligatur conf. Cocceii. Diss. III. §. 25. in medio.*

§. XLV.

Venditor rei traditionem offerens, cui emtor tamen non soluit, post oblationem ad minimam diligentiam in re emtori exhibendam obligatur (§. praec.) Verum tum tempore, quo emtor, cui venditor rei traditionem offert, pretium non soluit, emtor in moram constituitur (§. 41) Quare *venditor post tempus, quo emtor in moram moralem constitutus, ad minimam tantum diligentiam in re emtori exhibendam, et inde ad dolum et latam culpam tantum praestandam obligatur. L. 68. de C. E. V. L. 5. L. 16. L. 17. ff. de P. et C. R. V.*

§. XLVI.

Si venditor rei singularis traditionem ad diem certum obtulerit, et emtor non soluerit, remque subduxerit, tum emtor eo tempore promissum existentiae non reddit, quo moraliter obligatus erat (§. 12. Diss. I. et 20. h. l.) adeoque emtor moram moralem committit (§. 39. Diss. II.). sed venditor post tempus, quo emtor in moram moralem constitutus ad latam culpam et dolum tantum praestandum obligatur (§. praec.) *Quare eo in casu, quo emtor post diem ad rei traditionem a venditore destinatum conventum non soluit, et rem subduxit, venditor ad latam culpam tantum et dolum obligatur L. 5 ff. de P. et C. R. V. L. 51. pr. ff. de A. E. V.*

§. XLVII.

Propositionem praecedentem cum ex attributis communibus scilicet ex attributis contractus onerosi magis, quam ex attributis emtioni venditioni propriis demonstrauerimus *(conf. 4. l. 3. t. 2. Elem.)* Inde quoque *de omnibus contractibus onerosis asserere licet, quod nimirum is contrahentium, qui in contractu oneroso alterum in*

in moram moralem constituit, post illam, ad diligentiam ordinaria minorem alteri exhibendam obligetur.

§. XLVIII.

Emtio venditio *per aversionem* continetur sub emtione venditione rerum singularium (§. 22) Quare ea, quae hactenus de emtione venditione rerum singularium quoad imputationem disseruimus, quoque ad emtionem venditionem per aversionem pertinent (§. 28, 29, 30. et seq.) Interea tamen, cum in hac utrique contrahentes facto declaraverint, quod in pretium vulgare verum determinandum non consenserint. Inde quoque *in hac emtione venditione laesio, quoad pretii veri determinationem, alias imminens, vel enormis, non attenditur, (§. 36, 37.). conf. Titii juspriu. L. 4. t. 2.*

§. XLIX.

Emtio venditio sub conditione suspensiva inita, ante conditionis existentiam nondum est perfecta (§. 12, 21.) sed ex emtione venditione perfecta concepimus, quod periculum penes venditorem esse desinat et penes emtorem esse incipiat. (§. 31.) nisi venditor pacto speciali periculum in se susceperit, ex quo ipse venditor ad periculum praestandum adhuc obligatur (§. 34. et 35.) Quare *in emtione venditione sub conditione suspensiua inita ante conditionem existentem nondum desinit penes venditorem esse, neque adeo penes emtorem esse incipit. L. 8. pr. ff. de P. et C. R. V. arg. L. 9. L. 10. ff. eod. L. 35. §. 5. de Act. Emt. nisi emtor pacto speciali periculum in se susceperit, ex quo demum emtor, non autem ex contractu emtionis venditionis in se spectato, ad periculum praestandum obligatur. L. 10. ff. eod. Conf. Cocceii Diss. III. §. 25.*

§. L.

Emtio venditio rerum singularium ad mensuram pondus vel numerum est emtio venditio de complexu rerum singularium sub admensuratione vel annumeratione vel pondere determinato in

alterum transferendo (§. 22.) Quare emtio venditio rerum singularium ad mensuram vel pondus vel numerum est emtio venditio rerum singularium sub conditione suspensiva potestativa, quam ista mensuratio vel annumeratio involuit (§. 5 et. 1) et consequenter *in emtione venditione rerum singularium ad mensuram vel pondus vel numerum ante actualem admensurationem vel annumerationem periculum est penes emtorem (§. praec.) emtor tamen venditorem ad actualem admensurationem vel annumerationem cogere potest. (§. 3.) L. 10. ff. L. 2. C. de P. et C. R. V. L. 35. §. 5. ff. de A. E. V.* tempus inter quod commensuratio ista fieri debet pacto huic contractui adjecto determinari potest. *Conf. Titii jus pr. L. 4. t. 2. §. 29. Struvii synt. I. C. Ex. XXX. §. 13.*

§. LI.

Cum vero huic emtioni pactum tacitum jamjam perfectum in sit de actuanda admensuratione (§ 3. et 50) Inde utrique *contrahentes damna dolo lata culpa vel levi in rebus istis singularibus data sibi invicem reparare obligantur. (§. 28. et 29.)* ita, ut emtor vel saltim a pretio partem, pro conditione damni in re singulari a venditore dati, detrahere valeat.

§. LII.

Emtio venditio sub conditione scripturae supra illam conficiendae est emtio venditio sub conditione suspensiua potestativa confecta, (§. 16. et 20) Verum unus paciscentium alteri ad conditionem potestatiuam suspensiuam existentiae reddendam obligatur, (§. 3.) et in emtione venditione sub conditione suspensiva inita ordinarie periculum est penes venditorem (§. 49.) Quare *in emtione venditione sub conditione scripturae supra illam conficiendae periculum quidem ordinarie penes venditorem esse debet, unus autem alterum, qui scripturam in se suscipit, ad eam conficiendam cogere potest. pr. Inst. de E. V. L. 17. c. de fid. Instr.*

§ LIII.

§. LIII.

Emtio venditio rei futuribilis nobis propriæ continet pactum, cujus objectum est res externa nondum existens, propius tamen existentiae simplici et dominii nostri accedens. (§. 23.) Sed res nondum existens omnimode determinata non est, quam quae per existentiam determinatur, uti ex Logicis constat. Quare emtio venditio rei nobis propriae futuribilis continet pactum, cujus objectum omnimode determinatum non est, quod autem existentia quadam rei futuribilis demum determinatur. Pactum consensu mutuo in idem placitum determinatum absoluitur. *Quare emtio venditio rei futuribilis nobis propriae continet* pactum, quo consensus mutuus in idem placitum sub existentia rei nobis propriae futuribilis determinatur, et consequenter *pactum initum sub conditione suspensiua et potestativa, quatenus a nostra opera existentia rei nobis propriae dependet conf. Titii jus priv. L. 4. t. 2. §. 6.*

§. LIV.

Emtio venditio spei nostrae juridicae continet pactum, cujus objectum est res existens, nondum quidem sub dominio nostro, ejusdem tamen existentiae propius accedens (§ 23.) Res existens quidem, nondum vero sub nostro dominio, eiusdem tamen existentiae propius accedens vel saltim quoad existentiam Dominii nostri non potest considerari tanquam res externa, circa quam nostra proprietas omnimode determinata. *(conf. §. 10. et 17. l. 2. t. 2. Elem.)* Unde ad modum demonstrationis praecedentis apparet, *quod emtio venditio spei nostrae juridicae sit emtio venditio quaedam inita sub conditione suspensiva et qnodammodo potestativa, quatenus opera nostra effici potest, ut res illa existens dominio nostro subjiciatur.*

§. LV.

Emtio venditio rei nobis propriae futuribilis est emtio venditio sub existentia rei nobis propriae futuribilis, tanquam sub conditione

ne

ne suspensiua inita (§. 53.). Quare *existentia illius rei pactitiae plane cessante seu deficiente emtio venditio plane exspirat*, (§. 8.) et consequenter emtor, nihil soluere tenetur (§. 20.) *L. 8. ff. de C. E. V. Subsecuta autem existentia illius rei pactitiae, licet minimae, emtio venditio perficitur et emtor ad pretium promissum soluendum obligatur.* (§. 24.)

Corollarium, Id quod *applicari potest ad emtionem venditionem fructuum ex re nostra nasciturorum* (§. 25.) conf. TITII *Iuspr. l. c.*

§. LVI.

Emtio venditio rei nobis propriae futuribilis, est emtio venditio inita sub existentia rei futuribilis pactitiae tanquam sub conditione suspensiua et potestatiua, quatenus existentia rei ab operis nostris dependet (§. 53.) Pactum sub conditione suspensiua potestatiua continet pactum tacitum, ad actuandam vel saltim opera nostra non impediendam conditionem, (§. 3.) Quare *circa emtionem venditionem rei futuribilis venditor ex pacto tacito obligatur vel saltim ad interesse emtori praestandum, si dolo vel lata vel leui culpa existentiam rei futuribilis pactitiae impediuerit*, (§. 24. 28. et 29.) *L. 8. pr. ff de contr. E. V.*

§. LVII.

Emtio venditio fructuum nostrorum immaturorum potest considerari, tanquam emtio venditio rei singularis et quidem ordinarie per auersionem (§. 26.) Quare sub *hac consideratione in emtione venditione fructuum immaturorum periculum ordinarie est penes emtorem* (§. 48. et 31.) *venditor tamen ad damna dolo, lata vel leui culpa in fructibus data, emtori reparanda obligatur* (§. 18. et 28. 29.) *L. 39. §. 1. L. 78. §. f. ff. de C. E. V L. 21. pr. L. 25 ff. de A. E. V.* Interea non implicat, quin venditor periculum vel custodiam pacto huic contractui adiecto in se suscipiat, tum obligatio venditoris ex (§. 30. 34. 35.) determinatur.

§. LVIII.

Emtio venditio spei nostrae iuridicae est emtio venditio inita sub acquisitione dominii rei cuiusdam existentis, tanquam sub conditione

ditione

ditione suspensiua, (§. 54. Quare *subsecuta actu acquisitione dominii rei existentis licet minimae emtio venditio spei perficitur.* (§. 11.) *et inde emtor ad pretium promissum venditori soluendum obligatur.* Verum si venditor nullam prorsus rem existentem dominio suo subjiciat, tum quoque secundum principia supra stabilita emtio vinditio spei exspirare deberet. (§. 8.) at inde ex emtione venditione quidem emtor secundum principia nostra non teneretur ad pretium soluendnm (§. 20.) id, quod tamen contrariari videtur *L. 8. §. 1. ff. d. C. E. V. L. 12. ff. de A. E. V.* Interea tamen cum huic negotio fortuna cumprimis adhaerescat. Inde haud inconueniens a Titio huic emtioni venditioni spei pactum fortuitum attribuitur conf. Eiusd. Ius pr. L. IV. c. 15. §. 16.) Ex facto enim emtoris, qui incertitudinem huius obiecti pacticii sibi repraesentat, colligi potest, quod periculum huius obiecti pactitii in se suscipiat, et intuitu lucri insignis futuri, quod fortuna curat, pecuniam promittit, quod promissum sub iisdem circumstantiis alter, qui h. l. venditor est, acceptat. Quum igitur promissum sub existentia vel non existentia euentus, quem fortuna curat, datum, ab altero acceptum pactum fortuitum efficiat (§. 4. Diss. II.) Inde, *licet sub emtiome venditione spei plane nihil acquiratur, tamen ex pacto fortuito emtor ad prrtium soluendum obligatus dici possit.* (§, 1. 2. *Diss. II.*) Huic sententiae et Celeb. CRAMERVM *Marpurg.* in specim. de aequir. emt. vend. spec. §. XIX. aecessisse video. Verum enim vero sub sub hac hypothesi iste contractus, quem emtionem spei vocant, non satis conueniens ita appellatur, cum potius plane fortuitus dici deberet secundum Titium l. c.

§. LIX.

Emtio venditio spei nostrae continet pactum initum sub conditione suspensiua et potestatiua, quatenus opera effici potest, vt res illa existens dominio nostro subiiciatur. (§. 54.) Cum autem

pactum sub conditione suspensiua potastatiua initium, contineat pactum de conditione illa vel existentiae reddenda, vel saltim non impedienda (§. 3.) Inde *quoque in hac emtione venditione spei venditor ex pacto tacito obligatur. quantum in ipso est, operis suis efficere, ut res illa existens pactitia suo dominio subiiciatur adeo acquisitio illa dominii dolo vel lata vel leui culpa venditoris impedita ipsi ad interesse emtori soluendum imputatur (§. 28. 29.) L. 11. §. vlt. ff. de A. E. V.*

§. LX.

Coroll. Id quod in praec. §§. 58 59. eruimus, *ad emtionem venditionem rerum instante venatione aut piscatione aut aucupio acquirendarum, vi §. 27. venit applicandum.*

§. LXI.

Hereditas nobis delata sed nondum adita, considerari potest, tanquam res externa existens dominio quidem nostro nondum subiecta ,. ad quam tamen acquirendam nobis ius hereditarium competit. conf. §. 136. l. 2. t. 2. Elem. Cum autem fructus existentes, nostri pendentes seu immaturi etiam considerentur tanquam res externae existentes ante perceptionem dominio nostro nondum subiectae, ad quos tamen acquirendos seu percipiendos nobis competit ius (§. 36. 40.) l. 2. t. 2 Elem. adde §. 5. l. 2. t. 1. l. c. Quare emtio venditio hereditatis nobis delatae, sed nondum aditae emtioni venditioni fructuum nostrorum immaturorum aequipollet. (§. 26) et inde ope principii reductionis in *emtine venditione hereditatis delatae, sed nondum aditae periculum est penes emtorem, venditor tamen emtori damnum praestare debet, si dolo vel lata vel leui culpa factum, quo minus hereditas ad emtorem piruenirer (§. 57.) L. 2. §. 4. L. ult. ff. de hered. et act.* vendita.

Coroll.

Coroll. Posterius mutatis mutandis ad emtionem venditionem iuris cuiusdam ciuilis et cum eodem connexae actionis venit applicandum cuius notionem §. 25. l. 3. t. 5. Elem. euici.

§. LXII.

Emtio venditio generis inuoluit emtionem venditionem initam sub conditione suspensiua potestatiua, quam sola quidem actualis omnimoda tamen generis placiti determinatio, quorsum etiam, ut aiunt, demonstratio pertinet, inuoluit (§. 18) Quare *in emtione venditione generis ante auctualem et omnimodam generis placiti determinationem periculum est penes venditorem post eam penes emtorem (§. 39.)* et tunc *venditori damna in re designata dolo vel lata vel leui culpa data ad reparationem imputantur. (§. 28. 29.) L. 14. §. 1. in fine ff. de P. et C. R. V.*

§. LXIII.

Emtio venditio quantitatis est quaedam emtio venditio sub actuali designatione placiti generis coniuncta, cum annumeratione tanquam conditione suspensiua potestatiua inita (§. 17.) Verum emtio venditio sub conditione suspensiua inita post conditionis existentiam demum perfecta redditur, unus autem contrahens alteri ad existentiae reddendam conditionem obligatur (§. 49. 1. 5. 50.) Quare *emtio venditio quantitatis ante actualem designationem generis ab utrisque placiti coniunctam cum annumeratione non perficitur, vnus tamen contrahens ex eadem obligatur ad actuandam determinationem generis numericam placitam. L. 35. §. 5. ff. de et C. V.* conf. COCCEII *Diss. III.* 25.

§. LXIV.

Emtio venditio sub conditione suspensiua inita, conditione illa existente fingitur ac si ab initio pure inita. (§. 11.) Verum emtio ven-

ditio sub actuali designatione eiusdem generis placiti, cum annumeratione coniuncta, tanquam conditione suspensiua inita; et actualis designatio placiti generis cum annumeratione coniuncta efficit, ut genus illud determinetur, seu in rem singularem degeneret, (§. 17.) Quare emtio *venditio quantitatis post actualem determinationem generis numericam ab utrisque placitam in emtionem rei singularis degenerat.* Verum emtio venditio rei singularis etiam sub quadam conditione suspensiua iniri potest (§. 21.) Inde non *implicat quin emtio venditio quantitatis ita iniatur ut post subsecutam quoque determinationem generis numericam alia conditio suspensiua accedat.*

§. LXIV.

Si genus juridicum designatur cum actuali annumeratione ab utrisque placita, tunc quantitas commensuratur (§. 113. Diss. I) Quare emtio venditio quantitatis post commensurationem degenerat in emtionem venditionem rei singularis (§. praec.) sed in emtione rei singularis ordinarie periculum est penes emtorem, nisi de conditione suspensiua quadam inter contrahentes constet. (§. 31. 31) *quare in emtione venditione quantitatis post commensurationem periculum est penes emtorem, nisi de alia conditione suspensiua a commensuratione adbuc diuersa constet inter emtorem et venditorem L. 1. §. 1. L. 5. L. 35. §. 5. et 7. L. 14. §. 1. de P. et C. R. V.*

§. LXVI.

In emtione venditione quantitatis post commensurationem periculum est penes emtorem, nisi de alia conditione suspensiua ab hac commensuratione diuersa inter contrahentes constet. (§. praec.) Verum subsecuta post commensurationem ab emtore obsignatione ordinarie de alia conditione suspensiua, a commensuratione diuersa, haud constat, id quod ex communi vita de-

sumi

ſumi licet. *Quare in Emtione venditione quantitatis ſubſecuta poſt commenſurationem ab emtore obſignatione ordinarie periculum apud emtorem eſt aſſerendum L. 2. C. de P. et C. R. V. conf. et ILLUSTR. RECHENB. Tr. Reg. Iur. pr. III. t. 13. §. 14.*

§. LXVII.

Emtio venditio quantitatis poſt commenſurationem et obſignationem in emtionem venditionem rei ſinguleris degenerat (§. praec.) cum autem in emtione venditione rei ſingularis venditor cuſtodiam vel ad diem certum pacto ſpeciali ſuſcipit, vel minus (§. 30.) Inde in *emtione venditione quantitatis poſt commenſurationem venditor adhuc pacto ſpeciali vel ad diem certum damna, leuiſſima etiam culpa in re data reparare obligatur (§. cit.)* poſt eam autem vel ſi plane nullus dies adjectus, emtor a venditore interpellatus et rem non ſubducens, in moram moralem conſtuitur et efficit, ut venditor tantum dolum et latam culpam praeſtet. *(§. 45. 46.) L. 5. L. 17. ff. de P. et C. R. V.*

§. LXVIII.

Emtio venditio per auerſionem eſt emtio venditio rei ſingularis *(§. 22)* Vnde quoque in *emtione venditione per auerſionem, ſi venditor adhuc ad diem certum pacto ſpeciali cuſtodiam in ſe ſuſceperit, venditor, ad diem iſtum deſignatum, damna leuiſſima etiam culpa data, reparare tenetur (§. 38.) poſt eum autem vel ſi plane nullus dies adjectus, emtor a venditore interpellatus, rem non auehens in moram moralem conſtituitur et efficit, ut venditor tantum dolum et latam culpam praeſtet (§. 46. 673.) L. 4. §. 1. ff. de P. et C. R. V.*

§. LXIX.

In emtione venditione quantitatis poſt commenſurationem tum demum periculum eſt penes emtorem, ſi de alia ſuſpenſiua con-

conditione a commensuratione diuersa non constet (§ 64.) Verum si post degustationem cum designatione numerica coniunctam ab utroque placitam, (quæ determinationem generis numericam ab utroque placitam inuoluit,) consensus eorundem paciscentium sub recognita demum conuenientia quantitatis transmissae cum dato libamento, *determinatur*, tum de alia conditione suspensiua ab illa determinatione diuersa constat (§. 5.) Quare in *hac emtione venditione quantitatis etiam post degustationem cum designatione numerica abutrisque placita conjunctam, ante recognitam tamen conuenientiam vini transmissi cum dato libamento periculum est penes venditorem et post eam demum recognitionem ad emtorem* (§. 49.) TITII *Iuspr. L. 4. c. 6. §. 27.*

§. LXX.

Addictio in diem est emtio venditio sub conditione resolutiua inita (§. 21.) sed pactum sub conditione resolutiua ab initio est perfectum (§. 5) Quare addictio in diem inuoluit emtionem venditionem ab initio perfectam; sed in emtione venditione perfecta periculum est penes emtorem (§. 31.) Quare *in Addictione in diem periculum est penes emtorem L. 2. in fin. L. 3. ff. de in diem.*

§. LXXI.

Si intra tempus conuentum in addictione in diem alius emtor maius pretium offerens existat, tum existit conditio emtioni venditioni sub conditione resolutiua adiecta (§. 21.) Quare *addictio in diem expirat. si intra tempus alius emtor maius pretium venditori offerat.* (§. 14.) Interea tamen & priori emtori licebit plus addicere L. 7. ff. de in diem Addict.

§. LXXII.

Emtor ex emtione venditione perfecta obligatur ad reparandum damnum dolo lata et leui culpa venditori datum, (§. 28 29.) Emtio

Emtio venditio ſub conditione reſolutiua inita eſt emtio venditio perfecta et exſpirat, ſi intra tempus alius emtor maius pretium venditori offerat. (§. praec.) Quare emtor prior *ex emtione venditione ſub conditione reſolutiua inita, et ex poſt facto conditione illa exiſtente expirata ad damnum dolo, lata et leui culpa in re venditori datum, reparandum obligatur L. 14. §. 1. ff. de in diem addict.*

§. LXXIII.

Emtor, qui in emtione venditione ſub conditione reſolutiua inita alium emtorem maius quidem pretium offerentem, ſed minus idoneum ſubiicit venditori, ſciens utitur viribus ad emtionem venditionem iam perfectam diſſoluendam (§. 71.) ſed is, qui ſciens utitur viribus ad pactum iuſtum iam perfectum diſſoluendum, ei, in quod pacto iuſto perfecto iam conſenſit, animo deliberato diſconvenienter agit, conſequenter doloſe alterum laedit (§ 13. Diſſ. II.) Quare emtor ſupra determinatus venditorem doloſe laedit; Cum autem venditor per alium emtorem maius quidem pretium offerentem ſed minus idoneum, malum ſentiat. Inde conſtat, quod emtor ſupra determinatus efficiat, ut venditor malum ſentiat ortum ex doloſa laeſione prioris emtoris, adeoque damnum (§. 123. Diſſ.) Cum autem damnum dolo circa contractum datum ſit reparandum (§. 18. Diſſ. II.) *Inde emtor, qui in emtione venditione ſub conditione reſolutiua inita alium majus pretium offerentem, ſed minus idoneum ſubiecit, ad reparandum damnum venditori inde ſubnatum obligatur L. 14. ff. §. 1. de in diem addict.*

Corollar. ex priori demonſtratione mutatis mutandis facile colligitur, quod *venditor, qui in emtione venditione ſub conditione reſolutiua ſimulaverit meliorem allatam conditionem, emtori ad damnum inde ſubnatum reparandum obligetur L. 14. pr. ff. de in diem Addict.*

§. LXXIV.

Subhaſtatio eſt addictio in diem publica ſeu ſolennis *conf.* ILLUSTR. RECHENB. *(Tr. L. III. t. 12. §. 12.)* Quare penes emtorem poſt terminum ſubhaſtationis, etiam ſi in alio, uberioris pretii oblatio adhuc reliqua, eſt periculum (§. 70.) *(conf. L. 2. 4.) et t. t. 3. L. 16. de fid. et iur. haſt. fiſc. de adject. conf. O. P. S. R. t. 39. §. 9.*

§. LXXV.

Lex commiſſoria eſt emtio venditio ab initio pura, qua tamen eodem tempore haud ſecuta intra certum tempus pretii ſolutione diſſenſus mutuus eodem contractu determinatur L. 1. 2 4. pr. de C. Commiſſ. adeoque lex commiſſoria involuit emtionem quandam venditionem ſub conditione reſolutiua initam (§. 21, 5, 9) Vnde *ex Lege Commiſſoria emtor haud ſoluto intra tempus conuentum pretio efficit, ut emtio venditio exſpiret (§. 71.) obligatur tamen ad damna dolo lata et leui culpa in re data venditori reparanda (§. 22.) L. 4. pr. §. ult. ff. de Lege Commiſſoria.*

Supplenda §. 16. l. 3. conditione ſuſpenſiua poteſtativa
l. 4. conditione ſuſpenſiua poteſtativa §. 20.
l. 4. externa pro certa pecunia.
§. l. penes, leg. penes venditorem, poſt eam penes emtorem.



